



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 12. Irati & infani comparatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](#)

gimus? quin & ianuæ stridenti, & frigido,  
vel calido cœlo, & viæ prolixiori, & cultro  
non satis acuto, & denique cui non indigna-  
mūr? Etiam nobis ipsis Timanthes Cleonæus  
athleta, cùm, & viribus senio defectis, &  
desuetudine, ingentem arcum non posset in-  
tendere, quem iuuenis lunabat & flectebat,  
furori adeò indulxit, vt eam tantum ob rem  
gladio seipsum peremerit.

XII.  
IRATI ET  
INSANI  
COMPRA-  
RATIO.  
Senec.  
ep. 18. ad  
Lucil.  
Laërt. in  
eius vit.

Plato 1.5.  
de Rep.

Quæro, an sic irasci, non sit insanire? an  
talis non possit iracundior Adriâ putari?  
Quod igitur in alio detestamur, cur amamus  
in nobis? Siquidem, in vnoquoque homine,  
vt vel Epicurus agnotuit, *immodica ira gignit  
insaniam*; &, vt Bias apud Laërtium pro-  
nunciauit, *bone consilio, duo maximè contraria  
sunt, FESTINATIO, & IRACUNDIA*. homo enim  
iracundus, cùm extra seipsum sit, vacuum est om-  
ni consilio. Et ira facit à se ire. Iratos, inquit  
Cicero, propriè dicimus exisse de potestate, id est  
de consilio, de ratione, de mente. Quod, teste  
Platone, contingit illis, qui more canum sa-  
uiunt in lapidem. Duo sunt, quæ insaniam  
produnt, vnum omnibus patet, alterum in  
effectu detegitur. Illud est corporis commo-  
tio, istud præcipitatio sententiæ in grauissi-  
ma damna erumpentis. Multi vnum, multi  
verum.

vtrumque in se reperient, si intueri se veline  
insanientes. De primo nos supra fecimus  
mentionem, Seneca sic loquitur: *Vt autem*  
*scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illo-*  
*rum habitum intuere. Nam, ut furentium cer-*  
*ta indicia sunt, audax & minax vultus, tristis*  
*frens, torna facies, certus gradus, inquieta ma-*  
*nus, color versus, crebra & vehementius acta su-*  
*spiria: ita irascentiū eadem signa sunt. Flagrant*  
*& micant oculi, multus ore toto rubor, exstenu-*  
*ante ab imis praecordys sanguine; labia quatun-*  
*tur, dentes comprimuntur, horrent ac subrigun-*  
*tur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulo-*  
*rum seipso torquentiū sonus, gemitus mugitusq;*  
*& parum explanatis vocibus sermo praeruptus,*  
*& complosa sapientia manus, & pulsata humus pe-*  
*dibus, & totum concitum corpus, magnasq; mi-*  
*nas agens, feda visu & horrenda facies depra-*  
*uantium se, atq; intumescentium. Nescias utrum*  
*magis detestabile vitium sit, an deformis. De-*  
*formitatem etiam D. Chrysostomus propo-*  
*nit in hunc modum: Videbis iratos non secus ac*  
*insanos, turpiter in medium precipites ferri: cum*  
*enim circa praecordia efferbuit ira, ignem emit-*  
*tit; tota inflatur facies, incomposita manus mo-*  
*uentur, & cetera. Cum hac faciunt, tanquam*  
*amentes, nihil sentiunt, nihil intelligent, sed asi-*

Senec.

lib. 1. de  
ira. c. 1.S. Chrys.  
hom. 3.  
in Ioan.

T

nervus

norum more, calcibus morsibusq; inuicem insul-  
tant. Ridiculum est spectaculum, videre duos  
sic inuicem insanentes; & ora, tanquam in-  
fernalia monstra serpentibus succincta de-  
formantes. Qualem putas animum, cuius ex-  
tra imago tam fœda est?

## XIII.

PATRIS  
IRA QVO  
SE VSQVE  
EXTENDE-

Senecc.

lib. 3. de  
ira. c. I.

S.Basilius  
de ira.

Verùm insaniam hanc effectus alij detesta-  
biliorem reddunt. Numquid enim parens  
ille puero, ob tam leuem & exigua noxam,  
in tantum irasci debuit, vt eum lapidibus pe-  
teret? vt consauciaret? vt occideret? Sed  
hoc exordium duntaxat fuit. Cetera vitia im-  
pellunt animos, ira præcipitat. Ceteris etiam si  
resistere contra suos affectus non licet, at certe af-  
fectibus ipsis licet stare: hac non secus quam ful-  
mina procellaq;, & si qua alia irrationalia sunt,  
quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac  
magis tendit. Quare ira primùm ex patre ty-  
rannum, mox ex homine, belluam fecit. Ita-  
que in filium erupit. Filio sublato, in autho-  
rem reuersa, eum ad restim adegit. Sic vno  
vitio duo ceciderunt. Nimirum, teste S. Ba-  
silio, quemadmodum torrentes ad curua loca de-  
currentes secum obvia quaque trahunt: sic &  
iratorum impetus violenti & instabiles omnia si-  
militer percurrunt atque obruunt. Quod & in  
exemplo nostro fuit videre. Neq; enim ira-  
filium